FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

Lebenslauf von Johann Baptist Habermann.

Habermann, Johann Baptist

Halle (Saale), 15.05.1702

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-190898

Visual Library

Imanu-El.

Benevolo et in Christo honoratissimo Lectori S. P. D.

Inquirenti mihi in me, inque varios diversosque fortunae casus, quibus vita mea ad hoc usque temporis spatium exposita erat, singularia divinae providentiae vestigia ac specimina apparebant, ut adeo non abs re cum Psalte Psalm. LXXIII exclamare et orare mihi liceat: secundum tuum, ô Domine! consilium me ducis. Temporis potius, quam materiae scribendae penuriam vereor, si in persequenda variorum in me incursantium fatorum enarratione, pro eo ac decet, has qualescunque paginas destinare intenderem, neve Tua, Lector debitis suspiciende nominibus, patientia abuti videar, brevibus, quantum nimirum temporis hujusque instituti ratio patitur, me expediam. Patriam agnosco celebrem illam, capiteque prae caeteris Franconiae urbibus extollentem Noribergam, quam videre primitus à divina benignitate dabatur A O R MDCLXXX ipsis Calend. Maj, et blandiri mihi fortuna tam patriae, quàm utriusque parentis claritate videbatur: verùm quam fallax nostra sit spes, istaque, quem fortunae inepte alii adscribunt, eventus, vel meo possem comprobare exemplo. Parens inter celeberrimos et opulentissimos Noribergensium Mercatorum haud postremus mihi meisque singulari Dei benignitate datus videbatur, quippe praeter munera publica, quae Avus summâ cum laude obibat ipsi quoque ad opes et honores pateret aditus. Satis autem sibi oneris impositum esse existimans, quod exercitui Caesareo castra tunc temporis in Hungaria metanti commeatum, eaque quae ad victum amictumque necessaria erant, procurare debuerit, intra suos se continere terminos maluit. Munus concreditum per sex ferme annos haud infelici successu obiit, ita ut tam honore quàm opibus largiter instructus, de his mundi vanitatibus maximè sibi gratulari, multosque, quod ajunt, à tergo relinquere posset. Verum Deus, Benignus Pater, qui ante jacta mundi fundamenta per Christum nos elegit, pro ineffabili sua misericordia per aliam ad se nos ducere viam, altioribus coelestibus nos initiari voluit. Nimium enim parens doloso huic, navim puto, confidens ligno et Danubium A C. MDCLXXXVI trajiciens, hostium sive Turcarum ex improviso undique multitudine circumseptus jaculatis telis miserè omnium bonorum, ipsiusque vitae

jacturam fecit. Misera genitoris conjux, matrem puto, patrem habebat Johannem
Jacobum Heyden à Reichenfels & B. Caesareae Majest. anteà Consiliarium, impetrata
postmodum à S. Caes. Maj. discedendi venia Noribergam repetit Consiliarii ornatus
munere, Romanae etiam Ecclesiae pertaesus superstitionibus nostrae Ecclesiae et religioni
Evangelicae se addixit, nec ceremoniis, ritibus et externa confessione tantum, sed verbi divini
studio, meditatione vitaque verè Christiana à Romano Catholicis differre et discerni
volebat. Pius Deoque suo intimè adhaerens Avus quatuor liberorum et filiarum erat pater
ex quibus prior Dn. Paulo Höltzio Consiliario Aulico Ducis Coburgensis: altera
Dn. Muffel ab Eschenau: tertia Dn. Muffel à Sündersbühl Viris Senatorii Ordinis
ac dignitatis: natu deniq. minima, quam matrem agnosco, Patri mercatori Casparo
Habermanno nupserat. In posteriori hoc conjugio cum mutuus inter utrumque parentem
semper esset consensus, vera animorum conjunctio felicitati ipsorum nihil deesse videbatur.
Quo vultu, quo animo tragicum parentis casum, mater acceperit facilè conjecturari potest,
cumprimis cum omnium ipsorumque etiam Consanguineorum auxilio, omnibusque ad vitae
sustentationem subsidiis necessariis se orbatam, liberorum contra, quos septem tunc
temporis numerabat, (è quibus tamen 4 Patrem morte secuti) multitudine oneratam
videret. Forti tamen et constanti animo ubi in unum tempus omnia conjecta vide-
bantur mala quamvis adversae fortunae auram pertulit, manuque super plagam suam
imposita ad obliganda vulnera nostra, quae ex praematuro parentis obitu nobis erant
inflicta, reptabat, promissiones Dei saepe nobis inculcando, cunctaque in emolumentum
nostrum esse cessura asserendo. Sprevit dehinc et spernere nos docuit coelestis
animus humana consilia, mundique hujus vanitates, quibus plerumque inniti solent
homines: cumque paternum aeterni et benigni Patris favorem ex gravibus hisce
ictibus benè persentisceret, sine intermissione fusis precibus et lachrymis Deum suum
anhelabat, animoque planè mutata altius erigere mentem, et cum Apostolo omnia
mundana pro rejectamentis habere coepit prae cognitione dulcissimi sui Servatoris
Jesu Christi. Posteaquam ita tandemque ab infirmitate muliebri animi, quam à
caeteris vitiis recessisset ~~vitam~~ quod reliquum erat vitae spatium in vero pietatis exer-
citio, timore et amore Dei, inque juventute nostra educanda, optimisque virtutibus instruen-
da impendere constituerat: verum enim vero aliter Deo Benigno Patri est visum;
duobus enim à Patris obitu praeterlapsis annis febri correpta maligna mortali-
tatem cum immortalitate commutavit, maternam benedictionem nobis impertiendo, gratiae
et providentiae divinae ardentissimis nos precibus commendando. Me natu minimum

pro fratre et sorore adhuc superstitibus, et vix octo numerantem annos horum
hoc vulnus tangere et urere videbatur, quo me enim verterem ac conferrem in tanta
aetatis teneritudine nec sciebam nec habebam: Sed Deus, cujus diutum et singularem
providentiam paulatim tunc temporis agnoscere coeperam, manu sua me duxit paterna,
et hic etiam manifestum amoris sui ac providentiae signum mihi exhibere voluit.
Avia h. patris mater, Hilperhusae non procul Coburgo habitans certior facta nostra calamita-
tis ac orbitatis benigne nos, ad se confugientes excepit, quam nos omni obsequio ac pietate
quanta vel in nepotibus conspici potest, matrem quasi alteram fieri blanda hac vi coegi-
mus, omnique ex parte parentum locum subiit, aetatem cumprimis meam adhuc teneram satis
languidam opera curaque sua fovendo, aliorum institutioni sedulo me tradendo. Ad
annum usque aetatis meae decimum quintum triviali, quam vocant, schola, quae Hilperhusae
erat, insidenti mihi coelum ejus ac animum cum Gymnasio Schleusingensi commutare, quo
in optimis artibus ac disciplinis ibi adolescerem, Avia ~~et~~ ac Praeceptores suadebant.
Pedibus in ipsorum eundo sententiam triennium ibi bonarum artium ac disciplinarum
studiis litabam; sed ecce! recens idque gravissimum ex omnibus, quae unquam in corpus
meum descenderunt, vulnus obliterata mala revocare, et ex parentis utriusque obitu
contractum nec vix tunc sanatum refricare, omnique me spe et solatio plane orbare
videbatur. Haud procul Hilperhusae avia possidebat villam, ex qua residua adhuc
opes penderent, quae ancillae incuria incendio periit, flammisque consumta est, ita, ut
avia domicilium tunc temporis ibi colleram vix vitam suam salvam reddere potuerit,
annumque agens septuagesimum septimum misera senectus felicem antea excipiebat et
sequebatur juventutem, in mortalium tamen adhuc degit numero, ~~et~~ aetate confectum
et calamitatum quotidie in se incursantium pondere misere affectum corpus deponere et esse
cum Christo unice exoptat. Haec tam adversa fortuna dura fecit, ut et mihi de alio
quodam vitae genere prospicerem: verum vigilans semper super me Patris Benigni
oculus clementer in has angustiis me respiciebat, inque hoc indigentiae salo mihi
fluctuanti benigne mihi succurrebat. Soltquella erat, quae amici cujuspiam com-
mendatione, ad se confugientem receperat, motus Rector t. t. Augustini commiseratione,
de subsidiis ad haec qualiacunque studia ulterius prosequenda necessariis se mihi esse
prospecturum pollicebatur, hospitio itaque liberali, quod vocant, mihi succurrebat, chorique,
quo inopiae meae eo uberius consulere posset, symphoniaco discedente Praefecto me prae-
ficiebat, ut adeo de studiis caeterisque ad vitam sustentandam adminiculis optime mihi
consultum ac prospectum esse experirer. Cumprimis cum tam Superintendentis ~~Dn~~ D. Bajeri
et collegae Dn. Essenii in Paleo-Rectoris mei in Xto Soltquellae non fucata pietate,
ad pie vivendum exemplis ipsorum invitatum ac incitatum me viderem.

Biennium in hoc bonarum artium et virtutum mercatu commorari, eoque praeterlapso Bono
cum Deo altius ascendere Heliconios colles et Academiam petere erat animus. Relic-
tis itaque Neo-Soliis, cujus fideli sub informatione haud poenitendos in me redundavit
fructus, caeterisque Praeceptoribus, Patronis ac amicis valedicens, Jenam ob suam conspicui-
prae caeteris Academiis amoenae vitalitatem ac ubertatem adire constitui. Praeceptores
ac Professores per unicum annum, quo commorari hic dabatur, habere contigit in Philosophi-
cis Dn. D. Treunerum, in linguis autem sanctis ~~Dn.~~ Prof. Dartsium. Deficientibus autem
iis, quae Soltq. collegeram et ex choro Symphoniaco mihi paraveram, subsidiis Jenam
relinquere, patriosque invisere lares et Kronbergum me conferre erat animus: spe fre-
tus certissima fore ut et ibi Deus mihi sit concessurus studiorum meorum Patronos
ac Moecenates, qui tanta mihi rerum omnium inopia presso ope et auxilio suo sint
opitulaturi. Hac spe de divina benignitate concepta me non frustratum, sed amicorum
quorundam commiseratione, subsidiis quibusdam instructum cum viderem, curta licet
supellectile, hilari tamen Deoque confidenti animo Altdorfium me contuli, omnisque pietatis
et elegantioris literaturae instructum Theologum ~~Dn.~~ D. Langium, cujus de Ecclesia Christi
instauranda pulcherrimis coeptis benignissimum Numen porro clementer adspiret, audire,
favorem ejus lucrari, et ad pedes hujus ad cineres usque mihi venerandi Gamalielis ac Prae-
ceptoris per unicum annum sedere mihi contigit. Cujus atque ac Dn. Prof. Rölenbeccii singulari
consilioque verè Regiam hanc Universitatem, omnis doctrinae ac pietatis domicilium, moderan-
te ita Deo O.M., adire, studiaque, Deo, Ecclesiae proximique aedificationi unicè dicata, ad
optatam perducere metam constitui. Faxit Deus ut in hac virtutis ac coelestis doctrinae
sede dignum me praebeam civem, et in hac doctrinae atque ac verae pietatis palaestra
graviter me exerceam, quò, divina ita annuente gratia, doctior redeam et melior.
Servet Benignus Deus Viros, quos ipse ad docendam ac propagandam doctrinam coelestem
huc vocare, quorumque assiduis laboribus hucusque adspirare et benedicere voluit. Conce-
dat porrò ipsis vires ac spiritum roboris et fiduciae, quò coelestem veritatem jam diu
falsis in tenebris detentam et jacentem ab hostium Dei injuriis et machinis liberare,
exulceratissima haec, quibus Ecclesia Dei exposita est, tempora hominibus exponere, et
ab interitu eam vindicare possint. Qui ad hocusque tempus mirando suo consilio me
duxit Benignus Pater, paterna sua gratia hic quoque vitam me comitetur! Et cum omnes
aetatis meae annos per calamitates transegi, omnibusque fortunae telis expositum me reddere
voluerit, ad graviora forti infractoque animo perferenda me reddat idoneum. Revelet
mihi mysterium crucis, ne animum rebus in adversis abjiciamus, sed potius eo confiden-
tius ad ipsum confugiamus. Orandus est Pater luminum, ut potenter radios suos
immittat tenebris, et sic eas discutiat, ne pretiosissimum sincerioris sapientiae arcanum
prorsus sepeliatur et veritas antiqua temere rejiciatur. Hoc voto finiam: Te,
~~vir~~ Lector omni honoris cultu prosequende amori ac misericordiae Jesu Christi,
me autem favori Tuo piisque precibus humillimè commendatum velim

Scrib. Halae Magd. d. 15 Maj.
A. O. R. MDCCII.

(1702)

Johannes Baptista Hubermann
Kronbergensis.

STAATS-
BIBLIOTHEK
BERLIN.

Franckesche Stiftungen zu Halle